

*menta muri Civitatis Jerusalem, Fundamentum reale & principale*  
 solus Christus est. 1. Cor. III, II. Ephes. I, 22. c. V. 23. 1. Pet. II, 6. Cum  
 Jef. XXIX, 16. Confer. Casaub. *l.c.* p. 344. *seqq.* D. Danhavv. *Hodosoph.*  
*S.* p. 742. & *Idea boni Interpp.* p. 167. Spilenberg. *in Matth.* p. 460. *seq.*  
 Sixt. Amama *lib. III. Antibarb. Bibl.* p. 429. Excell. Dn. Stolbergius  
*Colleg. MSS. in Matth.* Form. Christ. Concord. pag. 345. & *in primis*  
 B. Meisnerus *P. II. Philos. Sobr. sect. I. c. 4. quest. 4.* Flacius *P. I. Clav.*  
*pag. 913.* D. Glasius *Philol. S. lib. III. Tract. II. pag. 516. & p. 1178. fin.*  
 D. Schmidius *in Tract. Petrus non papa c. 3.*

### QUÆSTIO V.

*An primatus Petri œcumenicus & consequenter Romani*  
*Pontificis Dominatus ex hoc loco evinci*  
*queat?*

**I**D Pontificii uno ore omnes affirmant & pro Achille hunc locum  
 jactant. Certè Alvarez *Thesaurum suum Christianæ religionis*  
 & *speculum Romanorum Pontificum statim his verbis exorditur: Sa-*  
*cro sancta Romana & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso*  
*Domino Salvatore nostro primatum obtinuit, sicut. B. Petro Apostolo*  
*dixit, Tu es Petrus & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam &c.*  
 Conferatur Bellarminus *lib. de Rom. Pontif. c. 10. & seqq.* Verum  
 fumos Pontificii vendunt. Nam (1) Petrum quidem *solum* alloqui-  
 tur Dominus, sed non soli Petro promittit, quod patet *partim* ex gene-  
 rali promissione Clavium omnibus Apostolis facta, ut ex *Matth.*  
*XVIII. 18* liquet, *partim* ex complemento promissionis omnibus Apo-  
 stolis facta Joh. XX. 22. (2) *Petræ* vox non primatum sive jurisdic-  
 tionem aut jurisdictioni quid simile infert, sed formaliter rei alicujus,  
 cui tribuitur, firmitatem & constantiam, sustentationem ac duratio-  
 nem importat. Et sigillatim h. l. vox *Petræ* causaliter sumitur, de-  
 signatque Christum, qui Ecclesiam fundat; non effectivè pro homi-  
 ne in *Petra* fundato, Christum animosè confitente. *Petra* h. l. est et-  
 iam fundamentum Ecclesiæ triumphantis (3) *Verba* sunt *figurata ac*  
*metaphorica*, adeoque non nihil obscura, ut Pontificii inde nihil, ni-  
 si per remotissimam consequentiam valeant concludere. *Nota Theo-*  
*logorum regula, Symbolica (vel Metaphoricam) Theologiam non esse ar-*  
*gumen.ativam* (4) Puerilis hallucinatio est ipsius Canonici Juris di-  
 stincti